



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma Bvllarii Earvmve Svmmorvm Pontificvm  
Constitvtionvm Qvae Ad Commvnem Ecclesiae Vsvm post  
volumina Iuris Canonici, vsq[ue] ad Sanctissimum D. N.  
D. Pavlvn Papam V. emanarunt**

**Quaranta, Stefano**

**Venetiis, 1619**

Canonizatio Sancti Raymundi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10793**

quare tempore interdicti prohibeatur sonus campanæ. Gemin in c. Alma §. adijci-  
mus nu. 4. de sent. excom. & antunc tēporis illam pulsantes incurrant irregularita-  
tem Philip Franc. ibidem num. 3. Et qua ratione campanæ sileant triduo ante Pas-  
cha habetur in d. rational. diuin. lib. 6. cap. 72. Numquid autem pulsans, vel pulsari  
iubens campanam ad arma sumenda pro captione alicuius rebellis, vel malefatto-  
ris, incurrat irregularitatem, si ob illum sonum ille reus fuerit captus & deinde mor-  
te, vel mutilatione damnatus. Resp. Maiolus in tract. de irregu. li. 2. cap. 10. tenet  
affirmatiue hoc idem extendēs in pulsante vt conuocetur populus quando reus duci-  
tur ad supplicium, declarando dummodo pulset ad finem vt reus securius ducatur  
ad mortem secus vero si pulset tantum ad signum & publicum exemplum. Et quid  
in eo qui pulsando campanam ipsa vel eius malleus cadens aliquem interfecerit quā-  
do sit irregularis, vide tex. in cap. Ioannes. de homic. & ibi dicta per Card. Zab. &  
Abb. vna cū additione Alex. de Neuo ad ipsum Syluest in ver. Homicidiū 2. ver.  
10. Maiol. in d. tract. lib. 5. c. 48 §. 3. nec omittas uidere, que de campanis tradun-  
tur per Io. Sylu. in tract. de benef. par. 1. q. 5. num. 82. & infra, & per Paul. Fusc. in  
tract. de uisitat. lib. 1. cap. 14.

### CANONICVS REGVLARIS.

**P**Ræter Summistas, & Doctores, sciendum est, quod hodie nulli Regulares, etiā  
si sint Canonici, habere possunt sine dispensatione Apostolica, beneficia cura-  
ta, nec in perpetuum, neque ad tempus, & ita in praxi obseruari attestatur  
D. Hieron. Gonzalez in comment. ad reg. Cancell. gl. 7. num. 53. referens etiam  
declarationem Sacræ Congregationis Concil. Trident. videlicet, Sanctissimus  
D. N. Greg. XIII. noluit licere Canonicis regularibus Congreg. Lateranen.  
etiam de licentia sui Generalis, absque permisso Summi Pontificis, assumere cura-  
ram animarum, etiam ad tempus, multoque minus beneficium curatum ad  
tempus.

Quam declarationem adde ad cap. quod Dei timorem. de statu monach. &  
Vide decreta pro reformatione regularium relata infra in verbo Monasteria, &  
conuentus Regularium sub die 25. Iulij 1599 num. 32.

### Canonizatio Sancti Raymundi.

**P**Ræter Syluest. & Summistas in hoc verbo sciendum est qualiter inter alias fa-  
cultates attributas congregationi Illustrissimorum Dominorum Cardinaliū  
pro sacris ritibus & egermonijs est, vt diligentem curam adhibeant circa San-  
ctorum canonizationem vt patet ex constitutione Sixti V. extat de canonizatione  
Sanctorum commentarius Reuerendissimi P. Angeli Rocca Augustiniani Apo-  
stolici Sacrarij Præfecti, Episcopi Tagasti, vbi de definitione, Auctoritate, &  
Antiquitate deque causis, & ordine iudiciario canonizandi Sanctos. De mira-  
culis, item ac de rebus, quæ veram declarant sanctitatem, nec non de honoribus  
qui Sanctis debentur. Deque infallibili Catholicæ ecclesiæ certitudine, ad cano-  
nizationem pertinente, additis caeremonijs in ea obseruari consuetis, ac declara-  
tis; Sanctorumque canonizatorum Catalogo accedente, & eorum qui de cano-  
nizatione scripserit, Romæ impressus anno 1601. occasione canonizationis sa-  
ctæ Sancti Raymundi a Clemente Octauo tenoris sequentis.

S. D.

*S. D. N. D. Clementis Diuina prouidentia Papa Octauo Decretales literæ, quibus Beatus Raymundus a Peniaforti Barcinonensis Ordinis Prædicatorum in Sanctorum Catalogum adscribitur, ac decernitur, ut ab vniuersali Ecclesia uti Sanctus colatur, illiusque Festum, & Officium sicut pro vno Confessore non Pontifice, ad formam in Rubricis Romani Breviarij præscriptam anno quolibet, die septima Ianuarij celebretur, cum Indulgentiarum largitione.*

Clemens Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

**R**omana Catholica Ecclesia, quæ supra fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu ædificata, diuinitus a Spiritu Sancto regitur, & ineffabili eius æternæ sapientiæ prouidentia mirabiliter gubernatur, in eadem vnitæ fidei, & doctrinæ veritate, quam a Christo suo sponso, & Apostolis accepit, perpetua consensione perseuerans, a Deo Patre misericordiarum continuis gratiæ celestis benedictionibus cumulatur, ac veluti fecunda mater multiplici sanctorum prole aucta eorumdem meritis, ac virtutibus illustratur. Atque hanc fidei Catholicæ vnitatem vnus, idemque spiritus per multas gratiarum diuisiones in corpore Christi, cuius nos membra sumus, antea operatus est, & nunc etiam operatur. Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores, qui vnum Dominum, vnâ fidem, vnum baptisma prædicarunt, ac veritatem facientes in charitate, creuerunt in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum, & conexum est per omnem iuncturam subministrationis secundum operationem in mensuram vniuscuiusque membri. Præcipua vero huius mystici corporis membra sunt viri sancti, quos elegit Deus, & prædestinauit in vitam, qui eandem fidem semper tenuerunt, & pro eius defensione legitime certantes adepti sunt reprobationes, & in caelis coronari meruerunt. Huius autem fidei vnitatem, in qua vnum corpus in vno spiritu efficiuntur, iam inde ab ipsius Ecclesiæ nascens initio ad hæc vsque tempora Principes, & potestates tenebrarum multis heresum procellis, ac turbinibus excitatis labefactare, & conuellere tentarunt: sed diuina Christi sapientia, qua Ecclesiam suam supra firmam petram fundauit, aduersus quam portæ inferi præualere nunquam poterunt, potenti sua dextera eam semper defendit, & vsque ad consummationem sæculi conseruabit. Atque in hoc admirabilis Dei prouidentia maxime elucet, quod omnium pene sæculorum ætibus, & ijs præcipue temporibus, quibus religio Catholica Tyrannorum atrocitate, & hæreticorum perfidia impugnata est, inuictos martyres, athletas fortissimos, gloriosos confessores, & viros sanctos, magnos in virtute, ac prudentia præditos, aduersus Tyrannorum sæuitiam, atque hæreticorum iniquitatem excitauit, qui suo sanguine fidem Christianam decoratam, ac viræ integritate, doctrinis, virtutibus, & miraculis confirmatam laudissime propagarunt. Ac superioribus quidem sæculis ex gloriosi Patris Sancti Dominici familia Beatus Raymundus a Peniaforti Barcinonensis extitit, qui amator veræ sapientiæ, quæ

K 4 nunquam

*Sap. 6.* nunquam marcescit, spreis omnibus mundi diuitijs, diues factus est in gratia  
*1. Cor. 1.* Dei, quæ data est in Christo Iesu in omni verbo, & scientia, diues in humilitate,  
*Jacob. 1.* & virtute, diues in bonis operibus, in quo denique Deus ostendit abundantes di-  
*1. Tim. 6* uitias gratiæ, & gloriæ suæ. Nam vocauit eum in partem sortis Sanctorum, &  
*Eph. 2.* impleuit agnitione voluntatis suæ, in omni sapientiâ, & intellectu spirituali, ita  
*Colos. 1.* vt plenus Spiritu Sancto, & fide in medio Regum, & Magnatorum sapientiam  
*Aff. 10.* loqueretur, non sapientiam huius seculi, neque Principum huius seculi, qui de-  
*Eccl. 39.* struuntur, sed Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est a sapientibus hu-  
*1. Cor. 2.* ius mundi, & reuelata paruulis: nimirum verus Dei minister in paupertate, in  
*Matt. 11* omni patientia, in orationibus, in laboribus Dei gloriam quærens, ac mysterium  
*2. Corin. 6.* fidei in conscientia pura fidelibus, & infidelibus summa charitate patefaciens,  
*1. Tim. 3* permultos in cæcitate cordis a via salutis aberrantes, verbo veritatis, & innocen-  
*Pf. 218.* tia vitæ in rectam mandatorum Dei semitam traduxit, & aduersus hæreticorum  
*Pf. 67.* impetum, & audaciam se tanquam murum fortissimum, & inexpugnabilem op-  
*1. Cor. 12* posuit. Insuper Deus, qui est mirabilis in sanctis suis, dedit ei gratiam curatio-  
*Rom 15* num, ac sanctitatem eius, in virtute Spiritus Sancti, per signa & prodigia, cum  
*Galat. 6.* in eius vita, tum post obitum ita manifestauit, vt eius gloria per amplissima Hi-  
*1. Reg 2* spaniarum regna permaneret. Hæc enim est summa Dei benignitas, qua sanctos  
*Isa. 56.* suos, qui in contempione honorum, in omni rerum humanarum despicientia,  
*2. Cor. 6.* & in cruce Christi Domini Nostri gloriantes in hac vita eius laudem, & honorem  
*Isa. 55.* amplificauerunt, nunc eosdem glorificans, a quibus ipse honorificatus est, veluti  
*1. Reg 2* quadam vicissitudine honoris, omnium bonorum felicitate in caelis remunerat,  
*Eccl. 10.* & tribuit eis nomen sempiternum, quod nunquam interibit. Quamobrem ad eo-  
 rum virtutes imitandas vehementer incitari debemus, cum huiusmodi homines  
 auersos ab honoribus, in tribulationibus, in angustijs tantam adeptas esse glo-  
 riam videamus, vt sua tenuitate, & humilitate omnium Regum amplitudinem,  
 omnem huius mundi existimationem, & dignitatem longe superarint. Nam di-  
 uersæ sunt viæ Dei a vijs hominum, qui in vanis cogitationibus, & curis mani-  
 bus occupati loquuntur sublimia gloriantes; Deus autem sedes Ducum superbo-  
 rum destruxit, & cessare fecit memoriam eorum a terra, memoriam vero humi-  
 lium sensu reliquit, & maximis honoribus, amplissimisque monumentis conse-  
 crauit. Quare Beatum Raymundum merito laudamus, & Deum in eo benedici-  
 mus, qui singularibus gratiarum donis, & summis virtutibus eum ornauit; de  
 cuius vita, morum sanctimonia, fidei puritate, & admirabilium signorum mul-  
 titudine pauca solum ad communem totius Ecclesiæ utilitatem proponimus, vt  
 omnes intelligant quibus tandem ille gradibus in caelum ascenderit, ac Deo gra-  
 tias immortales agant, eius nomen in Ecclesia Dei publico hoc nostro, & Sedis  
 Apostolicæ decreto, numero Sanctorum fuisse adscriptum.  
 Beatus Raymundus Barcinonensis ex nobili familia de Peniafort originem  
 duxit. Prima in pueritia religionis Christianæ rudimentis imbutus iam magnū  
 aliquid portendere videbatur, cum esset eximia corporis, & animi indole, & na-  
 turæ quodam instinctu ad virtutem, & pietatem in dies magis propenderet. Ado-  
 lescens humaniores literas tam auide arripuit, vt exiguuo tempore maximus pro-  
 gressus fecerit, & eas artes, quas plene didicerat, Deo adiuuante, summa cū lau-  
 de plurimos Barcinone gratis docuerit. Atque vt e talentis sibi a Domino, concre-  
 ditis lucrum faceret amplissimum, Bononiam, velut ad commune bonarum ar-  
 tium domicilium, & disciplinarum emporium profectus est, vbi tempus sibi ad  
 negotiationem sapientiæ datum non insumpsit in vanis, & carnalibus deside-

rijs, quibus ætas illa iuuenilis a studio virtutis abripi sæpe solet, sed pietatis officijs, ac Pontificio, ciuilique iuri toto pectore incubuit, ac tandem Doctoris laurea, ceterisque doctrinæ insignibus decoratus, sacros Canones publice magna cum hominum admiratione absque vlllo stipendio est interpretatus, cui postea cum Senatus Bononiensis ob præclaram eius eruditionem honorarium ex aere publico decreuisset, ipse labores suos Domino sanctificans, data tibi a senatu pecunia, omniumque rerum, quas sua industria comparasset, Deo in primis, ac suo Parocho Decimas fideliter offerrebat. Quo in munere docendi cum aliquot annis egregiam nauasset operam, & iam eius eruditionis fama per Italiam increbuisse, Berengarius Barcinonensis Episcopus eius virtutibus, ac scientia permotus, Roma suam ad ecclesiam rediens Bononiam iter instituit, vbi Beatum Raymundum conuenit, ac multis vltro, citroque sermonibus habitis Berengarius virum admiratus, ac secum ipse reputans eum ingenti Ecclesiæ suæ ornamento, & utilitati futurum, vehementer sollicitus, vt secum ad ecclesiam Barcinonensem, vbi educatus fuerat, reuerteretur, quod tandem magnis ab eo precibus obtinuit, quæ etiam aliquanto post eiusdem Ecclesiæ Canonicatu, & quadam præpositura ad dita ornauit. Hoc beneficio, & dignitate auctus, omnibus Canonicis, & vniuerso illius ciuitatis populo integritatis, ac doctrinæ splendore præfulgebat, eratque tanta eius in omni gestu, motuque corporis modestia, & totius vitæ consuetudine suauitas, vt omnium gratum, atque ordinum homines in amorem sui raperet, & admirationem. Deiparam Virginem singulari pietatis affectu venerabatur eiusque honorem, & cultum pro viribus semper auxit. Nam cum festus Annuntiationis eiusdem Virginis dies ea in Ecclesia minus celebris haberetur, ipse ab Episcopo, & Capitulo impetrauit, vt duplici ritu solenniter perpetuo coleretur, atque ex Præposituræ suæ redditibus censam annuam attribuit Canonicis in distributiones erogandum, qui sacris officijs eo die interessent.

Magnam hac ratione apud omnes auctoritatem, & sanctitatis opinionem sibi conciliarat, totiusque ciuitatis oculos, animosque omnium, ac Præcipue prælatorum, & Principum in se conuerterat, cum inanem mundi gloriam instat senescentis decusso flore marcescentem apud se ipse contemnens, ad sublimiorem vitæ statum aspiraret. Venerant tunc in eam urbem recentet Fratres Ordinis Prædicatorum, qui Apostolicum in morem Euangelio Christi prædicando populū docebant, & ad cultum Dei, studiumque pietatis incitabant, quorum vsu, & consuetudine primum delectari Beatus Raymundus; deinde etiam ad idem vitæ institutum amplectendum vehementer cœpit inflammari, neque anceps ea, difficilisve cogitatio fuit; Nam inclinatum eius animum, & in via salutis ambulantem speciosi illi pedes euangelizantium pacem in montem Domini, perfectionis nimirum Evangelicæ apicem facile deduxerunt.

Itaque iam matura ætate annum circiter quintū supra quadragesimum agēs, abdicatis honoribus spretisque omnibus diuitijs, assumpsit pen nas, vt columbæ, atque in requiem Domini euolans, in ordine Fratrum Prædicatorum solennem professionem emisit, Quod vt omnibus admirationi fuit hominem genero nobilem doctrina præstantem, affluentem bonis dignitate, & fama celebrem, suscepto religiose vitæ instituto, spontaneam paupertatem opibus, suisque contemptum honoribus, & com modis prætulisse; ita eius exemplo complures literati, ac propterea magnum ea religio in dicta ciuitate suscepit incrementum. Hic iam nonus Christi miles aduersus humani generis hostem fortiter dimicare apud se fratruens.

Pro. 31  
1. Pet. 2

Leu. 27

Isa. 40

Ro. 10

Pf. 54

Marc. 12

1. Cor 3

*Climac.*  
*gradu.*

4. 1. *Ti-*  
*mōt Phi*  
*lipp. 2.*

*Prau.*

15.

*Coloß. 3.*

*Climac.*  
*gradu.*

17.

*Isai. 48.*

2. *Cor. 4.*

1. *Pet. 1.*

*Luc. 12.*

2. *Cor. 4.*

1. *Thes-*  
*sal. 4.*

*Thre 3.*

*Isai. 12.*

*Ioan. 7.*

tuens, ac turrim æternæ salutis ædificans, vt sapiens architectus, humilitatis religiosæ, quæ ceterarum est parens, custosque virtutum, fundamenta iacere decreuit. Itaque etsi omnibus eruditione, & prudentia antecellebat, hoc tamen ipso demissius sentire de se, alijs omnia, sibi nihil tribuere, singulos honore debito prosequi, denique libentius dellescere, quam in lucem prodire cõsueerat, cuius ille uirtutis tenacissimus in omni uita fuit: & quoniam obedientia humilitatis uita est, ad hanc tuendam, atque conseruandã exemplo mediatoris, & Saluatoris Domini Nostri Iesu Christi, qui humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, uir iustus die, ac nocte meditabatur obedientiam, ac sepulto propriæ uoluntatis arbitrio, mortuus huic sæculo uitam cū Christo in Deo absconderat, ac totus a superiorum nutu pendebat. Beatam paupertatem regni cælorum præmio dignam, & Christi ore laudatam toto peccatore amplexus est, ac eam ueluti fraternæ pacis fundamentum, munditiã uitæ, curarum huius mundi abdicationem, proximam denique, & quasi compendiarium ad Deum uiam studiosissime semper coluit, ac semetipsum, tanquam aurum igni probatum in camino paupertatis expurgabat. Castitatis, quæ celestis, & Angelicus thesaurus est, amantissimus fuit, ac præcinctus lumbos, & lucernam boni operis in manibus habens, eam in fideli corporis sui uase in sanctificatione, & honore portans, incorruptam, & integram usque ad extremum uitæ diem conseruauit, & qua erat in Dei matrem, & intemeratam Virginem Mariam pietate, in cuius fidem, & clientelam se iamdiu ante contulerat, nullum firmitus ad Dæmonis vires conterendas, quam eiusdem Virginis prætidium posse certum, exploratumque habens, eius patrocinium assidue inuocabat, ac tantus erat eius in oratione feruor, & perseverantia, vt ex varijs occupationibus se ipse frequenter colligens federet solitarius, & leuans se super se diuinæ contemplationi vacaret, in qua caestres plane spiritus hauriebat, & de fontibus Saluatoris aquas sapientiæ salutis accipiens, tanto gratiarum imbre omnes uitæ suæ actiones irrigabat, vt flumina aquæ uiuæ de ventre eius in aliorum uilitatem promanarent.

In pauperes, ac præcipue captiuos dura seruitute ab infidelibus detentos propensissimus erat, nullumque officij genus vnquam prætermisit, quos eos liberari posse existimaret, quorum hoc etiam maiorem curã, & sollicitudinem gerendam esse censebat, quo in grauori periculo Christianæ fidei abiurandæ, & amittendæ salutis æternæ versarentor. Cum itaque eius hortatu Petrus Nolasus natione Gallus, cuius confessiones Beatus Raymundus audiebat, vir opibus florens, & insigni pietate præditus, ad inopes alendos, & maxime ad captiuos ex Barbarorum uinculis redimendos, suas copias, & opes magna cum alacritate ac libenti animo conferret, egregium pij, ac liberalis animi officium pro sua infinita bonitate gratum Deus habuit. Nam proxima nocte in sequente Beatissima Virgo Dei mater eidem Petro, qui sanctis meditationibus, & orationi vacans cogitabat, qua ratione calamitatibus Christianorum in captiuitate degentium succurri posset serena fronte se conspiciendam dedit, & acceptissimum sibi, ac vnigenito suo filio fore dixit, si suum in honorem institueretur ordo religiosorum, quibus cura incumberet captiuos e tyrannide Turcarum liberandi, ac illa ipsa nocte eadem Virgo Sanctissima Beato Raymundo, & Iacobo primo Aragoniæ Regi apparuit, id ipsum de religiosis admonens. Quare hi collatis inter se consilijs, & consentientibus animis ordinem B. Mariæ de Misericordia, seu de Mercede redemptionis captiuorum fundauerunt, cui Beatus Raymundus certas uiuendi leges præscripsit ad istius ordinis uocatione accommodatissimas, quarum approbatione aliquot annis post a fel.

a fel. rec. Gregorio IX. prædecessore nostro impetrauit, & dictum Petrum, qui eodem ordini omnia sua propte dederat, primum etiam Generalem Ordinis Magistrum suis ipse manibus habitu eodem indutum creauit.

Hæc Beatus Raymundus, quæ ad vnius Dei gloriam, & proximi utilitatem geferat, etsi occultissima esse volebat, tamen ardentem illius in egenos charitatem, & vitæ sanctimoniam iam vbiq; fama vulgauerat, & sanctæ eius doctrinæ odorem manifestabat in omni loco. Quamobrem bo. me. Ioannes Cardinalis Episcopus Sabinen. eruditionis, & pietatis laude clarissimus ab eodem Gregorio IX. prædecessore nostro in Hispaniam ad crucem aduersus Saracenos prædicandam, aliaq; Sedis Apostolicæ negotia pertractanda Legatus de latere missus multorum sermonibus singularem eius integritatem intelligens, cum sibi legationis accepit adiutorem.

Quo in munere Beatus Raymundus tanta cum prudentia, tanta humilitate, & charitate versatus est, vt omnibus esset bonus odor Christi ad vitam. Nam etsi honestissimo loco natus esset, & iam ætate prouectus, multisque virtutibus cumlatus magna apud omnes auctoritate pollere; in hoc tamen longinquo, & difficillimo itinere nullis vnquam ab eo precibus obtineri potuit, vt equo veheretur, sed verus Christi discipulus calceatus pedes in præparationem Euangelii pacis, & assumpto spiritus gladio, quod est verbum Dei, iter suis comitatus sociis pedibus faciebat, & Cardinalem, quo erat venturus præuertens, quasi viam ante faciem eius in benedictione præparans, Euangelio Christi prædicando permultos adiuuante Domino, ad arctam salutis semitam a via lata, & spaciola traducebat, & confessiones audiendo, a censuris, & a peccatorum liberabat. Quodque omnibus mirum fuit, toto illo itinere nihil vnquam de solita ciborum abstinentia, vigiliis, ieiuniis, precationibus, totiusq; religionis seueritate remisit, sed obseruantissimus constitutionem sui ordinis, ne latum quidem vnguem ab illius statutis, & legibus discedebat. Quare suspiciebant ipsum vniuersi, colebant omnes, Ioannes Cardinalis summopere diligebat, qui perfunctus legatione ad Urbem rediēs, cum Beatum Raymundum vna secum adducere decreuisset, nunquam tamen ab eo potuit impetrare, sed cum ad eundem Gregorium IX. prædecessorem nostrum, de rebus legationis referret, tam multa, eaque præclara de huius Beati viri virtutibus dixit, vt idem Gregorius prædecessor illius videndi desiderio incensus, eum ad se festim euocarit, cuius ille dicto audiens, quanquam religiosæ quietis audissimus, Romam venit.

Excepit eum amanter, & benigne prædictus Gregorius prædecessor, ac breui perspectis, & exploratis eius animi dotibus, summisque virtutibus, Cappellani sui officio, quod tunc temporis idem erat, quod nunc est causarum Palatii Apostolici Auditorum, & Pœnitentiarii dignitate ornauit, ac tanti semper fecit, vt non nisi adhibito eius consilio grauiores causas tractaret, quem cum etiam a sacris sibi confessionibus præfecisset, is, qua erat in egenos charitate, pœnitentiæ loco illi iniungebat, vt inopum preces, & iustas petitiones statim audiret, eorumque negotia expediret, & quam citissime conficeret; quare ab eodem Gregorio prædecessore Pater pauperum est appellatus. Decreta Romanorum Pontificum, quo quæque tempore condita erant, diuersis in Epistolis, & Conciliis sparsa, quæ obscuritatem, & incertitudinem inducere videbantur, ad communem omnium, & maxime studium utilitatē, in ordinem, & compendium redigi iam diu omnib. fere placuerat, sed tanto operi uir idoneus quarebatur. Itaque Gregorius prædecessor Beatum Raymundum huic muneri aptissimum esse ratus, id oneris ei imposuit.

fuit, quod tandem ipse ingenti labore trium annorum spatio feliciter absoluit, quemadmodum in ipso Decretalium procerio grauissimo eiusdem Gregorii testimonio est comprobatum.

Hisc lucubrationibus, & assiduo humilitatis studio, quamdiu Romæ vixit, contra otiosam mentis euagationem, & inanis gloriæ cupiditatem se ipse tuebatur diligentissime: Quare oblatos etiam honores, & amplissimas Ecclesiarum Cathedras omni conatu repudiavit. Nam cum Gregorius Archiepiscopatum Tarracensem ei deferre decreuisset, id ille adeo grauius, & molestè tulit, ut illico febre correptus aliquot dies ingenti corporis, animique dolore torqueretur. Itaque ab huius mundi gloria alienissimus omni ope contendit, ut eam a se dignitatem auerteret, quod cum per se non posset, adhibitis multorum precibus, & quorundam Cardinalium auctoritate, eiusdem Gregorii prædecessoris animum ita inflexit, ut illius Ecclesiæ onus in eum transfunderet, quem ei muneri Beatus Raymundus aptissimum esse iudicauit. Hac difficultate perfunctus exultabat in Domino, ac veluti suo iuri redditus, gratijs Deo peractis, ad solitos labores sese contulit, quorum tandem magnitudine, & diuturnitate confectus, in tam grauem morbum incidit, ut illi certam mortem Medici denunciarēt, nisi patrium solum repeteret. Itaque dimisso confessarij eiusdem Gregorii prædecessoris munere, & obtenta abeundi facultate Barcinonem rediit, atque ita rediit, ut eum animi candorem ab omni ambitionis labe intactum, & illa sum, quo imbutus ad Urbem venerat, in patriam reportarit.

*i. Cor. 12.* Vix ab Urbe recesserat, cum statim ei diuinitus per spiritum data est gratia san-  
nitatum, atque operatio virtutum. Nam cum ad eum Cathalonix portum, quem  
Tosla vocant, appulisset, aduectum ad se leui cymba quendam eius loci incolam,  
*Ephe. 2.* Barcelo de Faro nuncupatum (qui dum in messem incumberet, adeo graui, &  
repentino correptus erat morbo, ut statim omnibus orbatus sensibus, nullos ne-  
que admotos corpori stimulos perciperet, sed humi iacens exanimis, mortuus ef-  
se crederetur) Beatus vir miseratus, Deum, qui diues est in misericordia, ardentis-  
sime est deprecatus, ut ei vitam, quæ satis esset ad confitendum peccata, produ-  
ceret: tum magna in Deum fide nixus infirmum proprio compellens nomine  
rogauit, an vellent peccatorum sordes sacra confessione diluere, confestim ille ve-  
lut e somno exictatus oculos sustulit, recentis que vocis vsu, id velle se, ac vehemē-  
ter optare dixit, & confessione facta, atque exonerata peccatorum conscientia,  
perceptaque absolutione nihil amplius elocutus spiritum Deo reddidit. Id circū-  
stantes admirati glorificauerunt Deum, quod talem hominibus dedisset potestā-  
tem.

*Matt. 9.* Atque vbi Barcinonem appulit, confirmatis paulum viribus, statim ad res di-  
uinas, & cælestes contemplanas animum adiecit. Eius vero Barcinonem aduen-  
tus simulatque per Hispaniam innotuit, ingens hominum concursus ad eum fieri  
coepit, partim visendi gratia, partim consulendi (nam Penitentiarj pote-  
statem concessu eiusdem Gregorij, etiam ab Urbe absens exercebant) quos om-  
nes consolabatur in Domino, & spiritualibus monitis mirifice recreabat, eius e-  
*Ecclesi.* nim scientia, quasi inundatio in omnibus abundabat, & consiliū eius, sicut fons  
21. vitæ salutem animæ plurimis afferebat. Hac autem Penitentiarj potestate, quo  
liberius Deo, sibi que vacaret, sponte se abdicauit, quamquam eius etiam absen-  
tis opera idem Gregorius prædecessor, ceterique Romani Pontifices, qui eum se-  
quuti sunt prædecessores item nostri utebantur, ut ex ipsorum literis facile con-  
stat, quibus ei grauissima negotia committebant. Conscripsit etiā summam casuum

con-



conscientiæ, qui solent in foro pœnitentię frequenter occurrere, magnæ doctri-  
 nę, atque auctoritatis, & tam confessariis, quam confitentibus valde vtilem, & ne-  
 cessariam.

Dum sacris, & suauibus hisce studiis, & iuuandi proximi occupationibus di-  
 stineretur, anno humanę salutis millesimo ducentesimo trigesimo octauo Iorda-  
 nus eiusdem Ordinis secundus Generalis magister, ex hac vita excessit. Quare no-  
 uo Generali Magistro deligendo Capitulum Generale Bononię est congregatũ,  
 vbi cum dissidentibus sententiis non satis Patribus inter se conueniret, ad San-  
 cti Dominici corpus preces indictę sunt, atque inde ad suffragia ventum, quibus  
 omnibus, nullo penitus refragante, Beatus Raymundus absens Generalis Magi-  
 ster est declaratus, cuius ille rei nuncio perculsus, atque animo perturbatus pri-  
 mum repugnare vehementer cepit; sed prouectioribus ætate, ac sapientia Patri-  
 bus Bononiam Barcinonem aduentantibus, qui eam omnium, & Dei volunta-  
 tem esse confirmarunt, ægre tandem acquieuit, ac magistratum inuit. Itaque alio-  
 rum precibus, & auctoritate victus animum ad regendam eam familiam adie-  
 cit, quam cum integro biennio sanctissime, & magna eum laude administrasset,  
 facto, ipso postulante superiore anno, ex communi Patrum sententia decreto, vt  
 liceret Magistro Generali officium magisterii renunciare, proximo insequente  
 Capitulo Bononię item habito affectam ætatem, infirmamque valetudinem in-  
 culans, pristinę nimirum quietis, vitęque priuatę audivissimus, Magistratu mæ-  
 rentibus omnibus sponte se abdicauit, quo veluti onere deposito, lætus, & alacer  
 ad consuetas pietatis exercitationes, & proximi ad virtutem incitandi studium  
 se quam diligentissime retulit, ac nihil vnquam antiquius habuit, quam vt reli-  
 gionem Catholicam longe, lateque propagaret, & pro viribus ab hæresum labe  
 vindicaret.

Quamobrẽ cla. me. Iacobo Regi Aragoniæ eius nominis primo in primis sua-  
 sit, vt sacrum Inquisitionis officium suis in Regnis institueret, ad hæresim, vide-  
 licet, quę tunc ex nefaria Valdensium secta recenter exorta erat, omnesque alias  
 procul a finibus eius Regni arcendas, atque hanc ob causam Concilio Prouin-  
 ciali Tarracone aduersus eosdem sectarios habito, iussu ipsius Iacobi Regis in-  
 terfuit.

Sub idem vero tempus Saraceni, qui nobilissimas Hispaniæ Ciuitates, & fini-  
 timas insulas impia sui generis stirpe multo ante infecerant, armata manu vehe-  
 menter etiam infestabant, quibus ut in suis regnis Euangelium Christi prædica-  
 retur, eidẽ Iacobo Regi auctor fuit. Hunc etiã ad maiorem insulam ex Baleari-  
 bus proficiscentem eius rogatu comitatus est, tum ut ei a sacris confessionibus ef-  
 fer, tum etiam, ut uerbo Dei prædicando, fideique Catholicę mysteriis explican-  
 dis, Hebræos, & Agarenos, qui ibidem magno numero erant, ad Christianam re-  
 ligionem adduceret, ubi cum idem Iacobus Rex uesano amore captus cuiusdam  
 feminę consuetudinẽ uteretur, Beatus Raymundus, qua erat dicendi libertate,  
 ac prudentia, illum blando primum sermone ab ea conatus est reuocare; uerum  
 ubi se nihil proficere animaduertit, tum orare, proque sua in Deum fide preci-  
 bus omnibus cepit obtestari, ne ob exiguam corporis uoluptatem male, se ipsum  
 perderet; sed neque preces quidquã profuere. Hic tum Beatus Raymundus ani-  
 mi dubius, & incertus, quo se uerteret, consulto tandem precibus diuino numine  
 statutis nihil grauius sibi faciendum, quam ut ex insula discederet, ne libidinem  
 eiusdem Iacobi Regis, quam ferre amplius non poterat, probare sua præsentia  
 uideretur. Itaque eum adiit, serioque ac seuerè admonitum suę uoluntatis cer-  
 tiorẽ.

Mat. 14.  
Plas. 8.  
Plas.  
88.

tiorem fecit; Iacobus uero Rex eius apud se retinēdi cupidus, nautas omnes praemoneri iussit, atque capitali edicto prohiberi, ne ullus eū traiceret. Interim ignarus huiusce consilii B. Raymundus in portum perrexit, ubi ab omnibus nauicularioribus communi consensu reiectus, cognita Iacobi Regis uoluntate, in portū Sollar profectus est, itineris sui comiti hoc unum firmissime asseuerans ibi aeternum Regem sibi non defuturum; at cum neque in eo portu a nautis admittetur, id secum ipse demiratus, hoc magna fide pronūciauit, Regem quidem mortalem ita statuisse, sed Regem aeternum aliter prouisurum. Itaque omnibus in litore salutatis, per quasdam rupes, & pręrupta saxa in mare portectā aliquantum progressus in mare descendit, ac socium allocutus, uidebis, inquit, quemadmodum Deus optimam nauem prouidebit. Quare fiducię plenus, expanso super aquis pallio, reductaque eius ora instar ueli ad baculum, quo tanquam malo uteretur, Dei opem inuocans, ac signo Crucis se muniens, relicto in insula suo modicę fidel, ac dubitante socio, mari se commisit, ac leni, prosperoque in flante uento, perambulas semitas maris, ac benedicens Deum, qui dominatur potestati eius, centum sexaginta milliaria sex horis confecit, omnibusque circum litora insolitum nauigandi genus admirantibus, Barcinonem appulit, ubi resumpto pallio, quod ne quidem aqua perfusum erat, ad Monasterium sui ordinis sub meridiem se contulit, quodque non minus admirandum est, ianuis clausis illud ingressus, populi acclamationes euitans, ad gratias Deo peragendas in templum secessit, cuius rei fama totam urbem, finesque illius breui peruasit. Auxit etiam huius miraculi magnitudinem eiusdem Iacobi Regis emendatio subsequuta; extant autem usque in hunc diem uestigia turris, & cappellę eo in loco, ex quo in mare descenderat, extructę, atque ipsam etiam pallium, ut continuata apud eos populos traditione receptum est, cuius contractu multi a uariis corporis infirmitatibus quotidie liberantur.

In procuranda Hebręorum, & Saracenorum salute magno charitatis ardore semper incensus fuit, omnemque operam dedit ad eos fidei Christianę documentis excolendos, ac pro uiribus adiuuandos, quod ut ei facilius esset, Seminarium, in quo nonnulli sui Ordinis religiosi Hebraico, & Arabico sermone erudiretur, Castellę, & Aragonię Regum impensis instituit, quod opus toti Hispanię ornamēto, atque infidelibus adiumento fuisse ex eo satis constat, quod illius operę, atque auxilio ingens eorum multitudo Christianā religionem amplexa sit. Neophytos non minori charitate doctrinę Christianę præceptionibus imbuebat, atque tam assiduus erat in illis instituendis, ut eorum parens esse uideretur, & ne alimenta ijs ad uitam necessaria deessent, undique elemosynas corrogabat.

De rebus dubijs saepe consultus, singulari prudentia, ac diuina plane sapientia omnibus respondebat, atque inter cetera beneficia, quę accepit hoc præcipue donum a Deo esse consecutus, ut eos, quibus cum ageret, mira consuetudinis suę dulcedine, ac uoluptate perfunderet.

Orandi, contemplantique summam diuturno usu adeptus est facultatem; nã etli varijs, grauibusque negotijs distineretur, tamen ubi se ad orationem composuerat, tanta subito diuini spiritus suauitate rapiebatur, ut omnium rerum mortalium cura exiuit esse uideretur, ac saepe intempesta nocte clam obseruatus est in secretiori templi recessu, tam crebra, altaque suspiria inter orandum edere, ut audientes ad lacrymas commoueret. In diuinis officijs erat assiduus, atque incredibilem psallendo rapiebat uoluptatem.

Sacrosanctum Missę Sacrificium fere quotidie celebrabat; quanta uero esset eius

eius in sacrificando animi puritas, ac deuotionis feruor, vel ex eo facile existima-  
ri potest, quod astantes ex eius solo aspectu ad orationem incitarentur, ac petita  
a Deo Patre misericordiarum beneficia eius precibus impetrarent.

Nam Frater Martinus eiusdem ordinis Conuersus, cum antequam suauis se  
Christi iugo subieceret, voluptatibus carnis liberius indulisset, ac tunc earum re-  
rum, quibus ante affluerat, recordatione, sui que corporis illecebris, quasi qui-  
busdam stimulis agitatus, mirum in modum vexaretur, omnem huius tentatio-  
nis propulsanda spem in Beati Raymundi meritis collocauit. Igitur eius sacrifi- 2 Cor.  
ciii saepe interesset, ac summis precibus a Deo flagitare cœpit, vt tanto suo malo re- 1.  
medium aliquod afferret, quod dum presueuerat petere, quodam die ex mani-  
bus Beati Raymundi celebrantis, ac sacra in hostiam populo ostendentis, Chri-  
stus Dominus sub augustissima pueri specie clarissima luce radiantis spectandū  
ei se præbuit, quo viso tanto est repente gaudio delibutus, vt ex eo tempore ad ex-  
tremum vsque diem, diuina gratia, & bonitate, ab omni concupiscentiæ carnis  
commotione fuerit præseruatus.

Cum caelestis militiæ Angelo tanta inerat ei familiaritas, & amicitia, quæ ma-  
ximum est puritatis, & sanctimoniam argumentum, vt ab eo frequenter ad oran-  
dum, a somno excitatus inuitaretur.

Cibi, potusque parcissimus fuit, totam enim hebdomadam, excepto die Domini *Phili.*  
nico ieiunabat: nullum vnquam in eo contumacia, vel arrogantia vestigium ani- 3.  
maduerti potuit, quinimmo lenitate, ac patientia fuit maxima, & in Deum tan-  
ta charitate, vt eius amore omnia arbitratu sit, vt stercore, ex qua etiam egregia  
illa in proximos charitas redundabat.

Omnibus demum virtutibus cumulatissimus, deuexa iam ætate, in perpetua *Luc. 12.*  
quodam erat animi vigilia, expectans Dominum, vt ad caelestes nuptias ab eo *Matt.*  
vocaretur. Igitur annos fere centum natus cupiens dissolui, & esse cum Christo, 22.  
in lethalem morbum incidit, atque Sacramentis omnibus rite munitus, oranti- *Philip.*  
bus ad lectulum fratribus, deficiente sensim omni vitæ sensu, ipso die Epiphaniæ 1.  
Barcinonæ obdormiuit in Domino salutis humanæ anno millesimo ducentesi-  
mo septuagesimo quinto.

Vulgata eius morte ingens hominum conuentus ad Monasterium videndi cau-  
sa repente factus est, ac tanta fuit eius sanctitatis apud omnes opinio, ut multi  
Episcopi, complures Prælati, ac nobiles uiri, clerus etiam, & populus Barcinonæ  
suis vniuersus, funus eius summa doloris significatione sint profecuti: Commu-  
nem uero illam eius sanctitatis famam auctoritate sua magno opere auxerunt, Al-  
phonfus Castellæ, & Iacobus Aragonia Reges, qui ad eius exequias sua præsen-  
tia cohonestandas, comitantibus filiis, ac domesticis omnibus, summa cum uene-  
ratione, & fama sanctitatis beati huius uiri conuenerunt. Itaque corpus eius ma-  
gno totius Ciuitatis luctu, ac Principum uirorum dolore honorifice humatum  
est, quod paucis annis post in sepulchrum marmoreum translatum fuit. Barcino-  
nensis populus Beato Raymundo uita functo, quasi totius patriæ lumine extin-  
cto, mœrore afflictus grauiter angebatur, atq; ob recentem uirtutum eius, ac be- 2. Cor.  
nificiorum memoriam eo carere omnibus acerbissimum erat; sed pater miseri- 1. Psal.  
cordiarum, & Deus totius cōsolationis, qui secundum multitudinem dolorum, 93.  
cōsolationibus suis timentium se corda lætificat, Beati Raymundi meritis bene-  
ficia in omnes conferendo plebem suam mitissime recreauit. Nam fidelissimi hu-  
ius serui integritatem, & sanctimoniam multis quidem in uita miraculis claram,  
pluribus signis post obitum ingenti omnium lætitiâ comprobauit. Atque ut om-  
nes

Sap. 4.

nes etiam intelligerent, quam Deo placita esset anima eius, eo ipso tempore, quo ex hac vita migravit ad Dominum, insigni miraculo est declaratum.

Mat. 13.

Erat in ea Civitate Guillelmus de Villaragut, qui inueterata corporis lepra grauius laborabat, neque eum sceditas morbi, dolorisue acerbitas in publicum prodire, solitasque exercitationes, & negotia obire patiebatur. Medici adhibiti, frustra medicamentis omnibus, deplorata re animum desponderant; ipse vero Deo ita disponente, qui Sanctum suum clarificaturus erat, in ades quasdam Monasterie ordinis Prædicatorum uicinas, ea ipsa nocte, qua Beatus Raymundus excessit e uita, diuerterat, ubi cum grauisimo elephantia dolore torqueretur, a pio quodam uiro Bernardo de Molendinis nuncupato, canonico Barchinensi admonitus est, ut Beati Raymundi, qui eo tempore dormierat in Domino, meritis se commendaret, quod ille recuperandę ualeudinis cupidissimus simulatque diligenter præstitit, confestim omnis lepra, ex eius membris collapsa est, ac sanum corpus reliquit, in cuius rei signum, & accepti beneficij memoriam idem Guillelmus monumento suspenso in templo, rem omnibus testatam esse uoluit, & posterius memorię commendauit.

Illud uero maximum est eius sanctitatis argumentum, quod mortuos, etiam ad uitam reuocari. Nam quædam puella Margarita nomine Ioannis Phytici filia quatuor, aut circiter annos nata, diuturna febrī, continuisque alui fluxionibus exhausta diem obierat extremum, eamque uere mortuam esse pallor ipse uultus, contractę nares, oculi extincti, horridi dentes, ceteraque indicia confirmabant, quin & idem Ioannes pater medicæ artis experitissimus asseruit omnia mortis, nulla uitę uestigia in eius corpore extitisse; honesta interim mulier Romę eiusdem Margaritę mater, quę paulo ante ad Beati Raymundi sepulchrum accesserat, & auxilium ab eo, filiaque ualeudinem precabatur, ubi de morte filię certior a Ioanne eius marito facta est, ab eodẽ sepius domum reuocata fuit, quod illa nuncio percussa tanto filię recuperandę desiderio inflammata est, ut neque inde se abituram reuersuram affirmaret, nisi Beati huius uiri meritis, & intercessionem Margarita eius filia uitę restitueretur? Itaque lacrymis, ac lamentis omnia miscere, & ardētius orationi instare, atque a Deo, per Beati uiri merita summis precibus flagitare cœpit, ut filiam uitę, sibi que redderet, cuius perseuerantem firmissima fide orationem respexit Deus, nec spreuit deprecationes eius. Nam sub occasum solis Margarita filia, paulo post meridiem defuncta, non modo uitę, sed etiam integrę ualeudini est penitus restituta, quę postmodum in templum pedes adiit ad gratias pro tanto beneficio agendas, & decem, & quatuor annos superuixit.

Psal. 101.

Altera item honestę conditionis femina Romea appellata, Michaelis, uidelicet de Sala hominis pii uxor Beati Raymundi opem experta est, nam cum maturo iam fetu acerbissimis parienti doloribus premeretur, ac infans caput enixa, reliquo intus recluso corpore, tribus integris diebus, ac noctibus grauisimo cruciatu torqueretur, nihil propius factum est, quam ut ex hac uita decederet; nã ob languentis stomachi fastidium, cibos omnes, haustusque respuebat, atque a sensibus alienata, uelisque usu priuata iacebat exanimis, quo tam præsentis uxor suę periculo prædictus Michael uehementer animo conturbatus ad templum illico excurrit, Beati Raymundi opem, subditiuamque implorans, qui simul ac domum rediit, Romea felicissime partum edidit, atque omni dolore est liberata.

Præterea iuuenis quidam continuos uiginti dies acutissima febrī agiturus, uiribusque exhaustus in superiorem ædium partem a suis delatus fuerat, ut aura pu-

riore

riore frueretur, animumq; relaxaret, quo ex loco deorsum in lapides, & saxa corruens, ita conuulsus, fractusque membris fuit, vt immotus humi prostratus ab omnibus mortuus esse putaretur. Eo, vt sit, cum multi videndi, & iuuandi causa accurrissent, astatium quidam pulueres ex Beati Raymundi sepulchro desumptos quos religiose, ac pie secum gestabat, in iacentis, ac moribundi os infecit, colloque appendit, atque aeger ille continuo valetudini est integra restitutus. Et illa quidem, aliaque quam plurima multo ante tempore contingunt, hæc vero recentiora sunt.

Anno millesimo quingentesimo octogesimo nono, dum pestilentia Barcinone grassaretur, atque ingenti hominum clade inualesceret; quidam probus vir Michael Amat appellatus peste mortifera correptus, hac desperata valetudine a Medicis destitutus Sacramentorum, atque extremæ vnctionis susceptione ad mortem se comparabat, sensim vero per omnia corporis membra serpente morbo, in eas redactus erat angustias, vt præclusis faucibus loqui amplius nõ posset. Quare intimo cordis, & animi affectu B. Raymundum est deprecatus; vt eam a se infirmitatem depelli precibus suis impetraret, quia in oratione Beatum Raymundum sibi videre visus est, atque extensa manu se cõtingere, quo ex facto ita omni repente morbo leuatus est, vt eodem ipso die conualuerit.

Hoc aliquanto recentius est. Nam anno millesimo quingentesimo nonagesimo sexto pia quædam mulier Anna Beneta vocata Barcinone honestis parentibus orta, ipso Epiphaniæ Festo copioso sanguinis profluuio in summum vitæ periculum adducta erat, neque adhibita Medicorum remediâ sanguinẽ vllẽ modo sistere poterant, neque ipsa in proximum diem victura putabatur. Quare eorundẽ hortatu cum Sanctissimâ Eucharistiâ, atque extreme vnctionis Sacramenta, pie, & deuote sumpsisset, mortem expectabat. Interim in Beati Raymundi præsidũ toto animo confugit, ac pulueres ex eius sepulchro ad se deferri, atque in cyatho misceri sibi iussit, quibus epous melius se habere cœpit, & absque vllõ profus alio pharmaco vitæ discrimen euitauit.

Illud vero perpetui cuiusdã miraculi vim obtinet, quã ex primo eius sepulchro terra quædã tenuis, seu puluis saluberrimus enascitur, quæ licet magna in copia inde exportetur, nõquã tñ deficit, ac multe, magneq; corporis infirmitates eo curatur.

Anno itidẽ millesimo quingentesimo nonagesimo sexto, cũ Iudices cõstituti ad explorandas Beati huius viri reliquias, arcã, vbi eiãt recõditã, aperuissent, tãtus illico odor ex eius corpore, qui viuẽs in odorẽ suauitatis Deo se cõsecrat exhalauit, vt multi, qui eo cõfluxerãt, nihil eo percipi posse iucũdus affirmarẽt: quinimmo egregius vir Ludouicus de Claramũt ex graui morbo sensu odoratus a sexdecim annis orbatu, cũ in ea hominũ multitudinẽ vidẽdi desiderio incitatus ppius accessisset, eũ etiã, odorẽ suauissimũ sũt, quo repẽte ita recreatus est, vt lachrymas præ gaudio cõtinerẽ, nec vllã vocẽ emittere vllõ modo posset: verũ tacitus apud se cogitãs dubitabat, nõ istius solũmodo odoris olfactũ recuperasset, an etiã rerũ aliarũ, sed domũ reuersus vbi se varios odores percipere animaduertit, miraculũ subito euulgauit. Neque vero hæc odoris fragrantia eo solum tempore ex eius corpore emanauit, sed ex aperto quodam eius sepulchri meatu idẽ suauis odor quandoque afflatur, qui ab ijs sentitur, quos diuina bonitas eo munere dignatur.

His, pluribusque alijs miraculis, quæ referre longum esset, corda Regium inclinata, plurimique Ecclesiarum Antistites, & Prælati, populique integri Regni Aragoniæ diuinitus excitari, vna voce, & consensu a multis Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris frequẽter petierũt, vt Beatus Raymũdus in Sactorũ

L nume-

Leuit.  
8.

numerum referretur; Et quidem quarto ab eius obitu anno salutis, videlicet, humana, millesimo ducentesimo septuagesimo nono Archiepiscopus Tarraconensis, ac decem Episcopi Regni Aragoniæ, multique Abbates in Concilio Provinciali Tarracone congregati literas ad fel. rec. Nicolaum Papam III. prædecessorem nostrum dederunt, quibus singularem eius in Deum charitatem, vitæque innocentiam coram Deo, & hominibus testificati, ut eum præuia virtutum, ac miraculorum eius inspectione, Sanctorum numero adscribere vellet, humiliter supplicarunt.

Cum autem ipse Nicolaus III. prædecessor e vita migrasset, Præfecti Ciuitatû Regni Aragoniæ, & Principatus Cathalonæ, totaque Ciuitas Barcinonen. quin & Priores, ceterisque Fratres Ordinis Prædicatorum, qui eas Prouincias incolabant, idem a fel. rec. Bonifacio VIII. etiam prædecessore nostro enixe flagitarunt; verum ipso Bonifacio prædecessore ab humanis erepto Concilium Prouinciale Tarracone denovo conuocatum, apud sanctæ mem. Ioannem XXII. prædecessorem etiam nostrum primam petitionem renouauit, quo tempore Frater Arnaldus Burguetus Ordinis Prædicatorum Inquisitor, ac Procurator a Capitulo Generali ad hanc causam prosequendam institutus, multos testes super miraculis, quæ de hoc Beato viro vulgabantur, examinari curauit. Sed cum per dicti Ioannis prædecessoris obitum res transigi non potuisset, cl. me. Petrus Aragoniæ Rex datus ad fel. rec. Clementem VI. similiter prædecessorem nostrum literis, vehementer institit, ut Beatus hic vir humanis laudibus extolleretur in terris: quam diuinæ providentiæ sublimitas, quemadmodum in eius litteris habebatur, honore voluerat in excelsis.

Cum vero huius rei tanta sit grauitas, & magnitudo, ut exiguo tempore perfici non potuerit, omnis huius causæ tractatio vsque ad tempora Sanctæ mem. Pauli III. similiter prædecessoris nostri fuit intermissa, qui tandem precibus bonæ mem. Fratris Ioannis a Toledo tituli Sancti Sixti Cardinalis Burgen. nuncupati inclinatus concessit, ut in omnibus Monasteriis, & Ecclesijs, Ordinis Prædicatorû in Regno Aragoniæ existentibus solenne officium de Beato Raymundo celebrari posset. Interiecto autem diuturni temporis interuallo, cum Deus, qui est gloria virtutis Sanctorum, Beati Raymundi meritis, & intercessionem plurima in dies beneficia toti Hispaniæ largiretur, cl. etiam mem. Philippus II. Hispaniarum Rex Catholicus per literas, & per dilectum filium nobilem virum Antonium de Corduba, & Cordona Sueffiæ Ducem, suum apud nos, & Sedem Apostolicam orationem supplicauit, ut huic causæ sub tot Romanis Pontificibus inchoatæ ipsi vellemus finem imponere, quo sane pio Regis studio vehementer sumus recreati. Nā cum ab ipso Pontificatus nostri principio nihil magis, quàm Dei gloriā, & Catholicæ religionis exaltationem spectauerimus, gaudebamus in Domino, cum vtramque huic Regis supplicationibus promoueri cerneremus. Itaque ut religioso eius desiderio satisfaceremus, Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Congregationis Sacrorum rituum iniunximus, ut acta omnia, quæ prius hac in re confecta erant, diligenter inspicerent, & examinarent; Hi autem fuere ex triplici ordine assumpti, Venerabiles Fratres Episcopi Alphonsus Ostiæ Gesualdus, Inicus Aualos Portuen. de Aragona, Gabriel Sabinen. Paleott. & dilecti filij nostri Alexander Sanctæ Mariæ Trãtlyberim Medices, Frânciscus Sancti Petri ad Vincula de Gioiosa, Augustinus Sancti Marci Veronen. Dominicus Sancti Chrysogoni Pinnellus, Frânciscus Maria Sanctæ Mariæ in Ara celi de Monte, Ascanius Sanctæ Patriciæ tituli Presbiteri Columna, Odoardus Sancti Eustachij Farnesius, Antonius.

tonius Sanctorum Quatuor Coronatorum, Facchenetus Diaconi nuncupati S. R. E. Cardinales; coram quibus rite congregatis cum dilectus filius Michael Llor, Sacrae Theologiae Doctor Frater eiusdem Ordinis Praedicatorum professor, ac Procurator legitime hac in causa constitutus, pro suo munere, in quod per sex annos continuos diligenter incubuit, quasdam scripturas ad hanc ipsam causam spectantes protulisset; quia tamen multae probationes addi poterant, Literae ad Archiepiscopum Tarraconensem, atque ad Barcinonensem & Vicensem, Episcopos cum opportuna facultate missae sunt, ut alias omnes scripturas, & probationes annis superioribus hoc in negotio factas Bacinone extraherent, & ea denique agerent, quae ad hanc causam; requiri videbantur, omniaque ad nos transmitterent, quae cum essent omnium iure confecta, summaque auctoritate firmata, & debita cum diligentia, & fide transmissa, Nos tribus viris, doctrina, & integritate praestantibus, ac usu peritissimis, Seraphino, videlicet Oliuario Razzalio Decano, Petro Francisco Gipsio, & Francisco Penia caesarum Palatii nostri Auditoribus commisimus, ut ea summo studio, quantum possent diligentia legerent, expenderent, ac totius causae merita exactissime ponderarent. Quo in munere cum sedulo, & accurate versarentur, Philippus II. Hispaniarum Rex Catholicus, cuius memoria in benedictione sit, magno in primis nostro, & totius Christiani dolore, ac detrimento viam uniuersa terra ingressus est, Quare charissimus in Christo filius noster Philippus II. Hispaniarum item Rex Catholicus eius filius non modo regnorum, verumetiam paternarum virtutum haeres statim a primo regni sui exordio, ut se, suaque omnia in Beati Raymundi praesidium, ac patrocinium conferret, literis, & per eundem Antonium Suelae Ducem oratorem item suum nobis supplicauit, ut in hac causa progredi, vellemus. Idcirco vehementer laetabamur, & benedicebamus Domino, qui pios Reges perpetuo suscipiat, ad sanctos suos honoribus prosequendos, quos elegit in aedificationem Corporis Christi, quod est Ecclesia.

*Ephes.*  
*4. Colo.*  
*1.*

Cum igitur praedicti Auditores in discutendis actis, ac uniuerso processu diuturnam, & assiduam nauassent operam, nihilque eorum, quae ad hanc rem peragendam pertinent, praemississent, omnem rei gestae seriem, suumque iudicium scripto nobis tradiderunt, quorum integram relationem nos eisdem Cardinalibus Congregationis sacrorum rituum per eosdem Auditores tradidimus, atque ut prius iudicio tota haec causa examinaretur, alios etiam Cardinales prioribus adiunximus, nimirum dilectos filios nostros Federicum Sanctae Mariae Angelorum in Thermis Borromaeum, Antonium Mariam Sanctae Agnetis in Agone Gallum, Caesarem SS. Nerei, & Archillei Baronium, Syluium Sancti Saluatoris in Lauro titulum Presbyteros, Antonianum, atque Andrea Sancti Angeli in foro Piscium Perettum Diaconum S. R. E. Cardinales, quos omnes monuimus, ut acta omnia de Beati Raymundi puritate fidei, motum integritate, ac miraculorum euidentia, tanto studio perpendere, quantum, & rei grauitas requirebat, & nos merito expectabamus, quicquid priuatim, multisque Congregationibus inter se habitis, dilecto filio Popeo Molella Fisci nostri procuratore semper citato, & partes suas diligenter praestante, singula rerum capita, & acta omnia sedulo examinassent, ac processum, testes, instrumenta, & huius causae momenta cum Auditorum sententijs diligenter contulissent, eoque adducta essent omnia, ut ad Nos referri oporteret; Nos Consistorium secretum pro more conuocari iussimus, in quo praefatus Alphonsus Cardinalis Gesualdus, suo, & totius Congregationis nomine, primum retulit scripturas, processum, omniaque huius causae acta legitime confecta esse, ac maximae auctoritatis, pbataque veritatis vim obtinere; deinde tota Beati Raymundi vita, multisque miraculis enarratis, se, & ceteros dictae Congregatio-

nis Cardinales vna voce, vnaq; méte in eam sententiã venisse dixit, Beatum Raymundum (si ita nobis videretur) posse Catalogo Sãctorum aggregari, in quorũ sententiã cum reliqui Cardinales suo quisq; suffragio ex ordine iuisẽt, magnã animi voluptatem capiebamus, quod Beati huius viri sanctitatem in dies magis elucere videremus. Atq; vt in hoc grauissimo negotio, nihil de pristina nostra consuetudine, ac debita diligentia remitteremus, nos ipsi acta studiose, & accurate perlegimus, atq; eorundem Rotã Auditorum, & Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium relationem verissimam esse comperimus.

Quare lapsis paucis post diebus ex Romanorum Põtificum prædecessorum nostrorum instituto Cõsistoriũ publicũ indiximus, in quo præter Cardinales, Patriarchã, Archiepiscopi, Episcopi, Prælati, nostriq; familiares nobis adfuerunt, ac in eo dilectus filius Bernardinus Scottus Consistorialis Aula nostrã Aduocatus, eximia Beati Raymundi charitate, vitæ innocentia, & miraculis copiosa oratione explicatis, Charissimi in Christo filij nostri Rodulphi Romanorum Regis Illustris in Imperatorem electi, & eiusdem Philippi I II. Regis Hispaniarũ Catholicici, & Principatus Cathalonix, totiusq; Ordinis Prædicatorũ nomine, vt Beatum Raymundum Sanctis adiungere uellemus, a nobis suppliciter flagitauit. Quæ cum audiremus, benedicebamus Domino, & gratias Deo agentes lætabamur præcipue Philippum III. Regẽ Catholicũ in ipso regnandi principio hũc sibi ad felicem regnorũ suorũ administrationẽ patronũ tanto ardore postulare. Itaq; respõdimus sanctã eius petitionem nobis esse gratissimã, & eã ad Dei gloriã in primis, & cõmunẽ totius Christianæ Reipublicæ utilitatẽ pertinere, quod nimirũ Deus, qui splendor, & gloria Sanctorũ est, in Sanctis suis magis laudatur, & Christi fideles eo facilius diuinę gratię munera, auctis intercessoribus obtinẽt, quo maior cultus, & honor Sãctis adhibet. Præterea singulrẽ Regis pietatẽ cõmẽdãtes, optare nos pio eius desiderio satisfacere diximus; huius tamẽ rei tantã esse grauitatẽ, ut maturis adhuc cũ Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalib. & ceteris Episcopis deliberãdũ esse cõseremus. Itaque omnes eos in Domino hortati sumus, vt omnia, q̃ ad Beati Raymundi vitã, & miracula spectarẽt, omni studio, & diligentia examinarẽt; deinde orãtes in spiritu, & in ipso vigilãtes (q̃ nos facturi eramus, Deũ precarẽtur, vt daret nobis spiritũ sapiẽtię, & reuelationis, quo hæc arcana cõlectia, q̃ rõne humana cõprehẽdi nõ possũt, cognosceremus, & illuminaret oculos cordis nostri. ut qd̃ i hac grauissima causa statuẽdũ eẽt deliberare possemus.

*Eph. 6.*  
*Eph. 1.*

*Luc. 12.*  
*1. Timo.*  
*3.*

*Act. 2.*

*Act. 4.*

His peractis secretum aliud Cõsistorium indiximus, cui etiã Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos, qui tunc erant in Vrbe, ac nostros, & Sedis Apostolica Notarios, nec non Palatij nostri Auditores, & Secretarios uoluimus interesse, in quo Nos ex gratiã celestis abundantia, qua nostra tenuitas in hac suprema Pastoralis vigilia, domus Dei, quæ est Ecclesia Dei viui, colũna, & firmamentũ ueritatis constituta est, ea diximus, quæ ad hanc causam spectare nobis uisa sunt; Deinde ab iisdem Fratribus nostris petiuimus, vt consideratis, atque examinatis omnibus actis, id præ se dicerent, quod Spiritus Sanctus eis daret eloqui, & an Beatus Raymundus Sãctis adscribẽdus esse uideretur. Itaque primũ S. R. E. Cardinales, deinde Patriarchã, tũ Archiepiscopi, & Episcopi ibidẽ p̃sentes, suo quisque loco dictis sententiis, omnes cõmuni cõsensu ex iis, quæ in uniuerso processu explorata erãt, merito a Nobis Beatum Raymundũ inter Sanctos referendum esse consuerũt. Gratias igitur Deo agebamus, qui Fratres nostros omnes in unitate spiritus idẽ sc̃ire facit, tribuẽs omnibus cor unũ & animã unã, eosq; monuimus, ut iterum p̃cibus, ieiuniis, & elemosynis, Dei gratiã, & auxiliũ nobiscũ iuocarẽt.

Cum-



Cumque omnia iam ad præscriptum, & normam Sacrorum Canonum confecta essent, quod supererat acturi, post aliquot menses diem Canonizationis diximus Tertium kal. maij, Dominicam videlicet in Albis, qua Paschalis solennitas terminatur, Neophytorum habitus candore animi permanente commutatur, & Euangelium in Ecclesia legitur, quo Christus Dominus post resurrectionem ad discipulos ianuis clausis ingressus, in sufflato eis Spiritu Sancto, potestatem remittendi, & retinendi peccata est elargitus, in quo magna nobis lætitiæ materia oblata est, quia videlicet meminerasus Beatum Raymundum, & Sacramenti penitentia ministrum extitisse, & post traiectionis miraculū ianuis clausis Monasterium sui Ordinis Barcinone ingressum esse, deinde etiam, quod eodem solennitatis, & lætitiæ die Nos ab hinc septem annis Sanctum Hyacinthum Polonum eiusdem Ordinis Fratrum Prædicatorum Beati Raymundi cocetaneum in Sanctos retulimus, ad quam quidem animi nostri voluptatem non mediocris accessio facta est, quod hoc ipso die Sanctæ Catherinæ Senēsis, ac Sancti Petri Martyris Festum in Ecclesia solenniter celebretur, qui sub eadem Sancti Dominici disciplina vitam sanctissime traduxerunt. Quamobrem in tuam accommodata totius Ecclesiæ, ac Sanctorum eiusdem Ordinis ad hanc celeberrimam actionē festiuitate, Nos Beato Raymundo eum honorem decernere statuimus, qui Sanctis Confessoribus adhibetur.

Cum igitur præscripta Dominica in Albis hodierna scilicet dies aduenisset, Nos cū Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, & episcopis, qui in Cappella nostra Pontificia hanc ob causam cōuenērāt, vestibus sacris induti, hymnū Ave maris stella inchoauimus, reliquū Cappellæ nostræ choro prosequente, ad Beatæ Mariæ Virginis opem implorandam, atque ita cantantes in vijs Domini, Romanæ Curia Prælati, Officialibus, & familiaribus nostris, & seculari, ac religioso clero longo ordine præcedentibus, singulis cereos accensos gestantibus, ex nostro Palatio Apostolico ad augustissimam Principis Apostolorum Basilicam processimus vario ornamentorum genere instructam, eamq; ingressi ad Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum genuflexi procubimus, orantes, vt Deus hanc celeberrimam actionem ad laudem, & gloriam nominis sui dirigeret. Inde ad supremam Ecclesiæ partem ascendimus alto, & sublimi fornice admirandam, vbi amplum, regioque sumptu suggestum erectum erat coram altari Sancti Petri Principis Apostolorum, in quo sacrâ Pontificale Missam celebraturi eramus, omnia que facibus, cereisque ardentibus colucebant; ac plurimæ circum imagines Beati Raymundum erecto corpore egregia pictum referebant, dextera manu clauem in potestatis, atque officij Pœnitentiarii memoriam, sinistra librum doctrinæ, ac Decretalium monumentum gerentem, vbi statim nobis in mentem venit nos iisdem, quibus Beatus Raymundus, Cappellani videlicet, seu Causarum Palatij Apostolici Auditoris munere, an tequam in numerum Cardinalium assumeremur, & in ipsa Cardinalis dignitate summi Pœnitentiarii officio, quanquam non exacte, ac perfecte functos fuisse ac propterea Deum in spiritu humilitatis non sine lachrymis precabamur, vt si quid istis in muneribus ex nostra imbecillitate a nobis omissum, vel commissum fuisset, id eius bonitas, atque clementia Beati Raymundi meritis, atque intercessione nobis condonaret. Deinde in suggestum delati ante idem altare Principis Apostolorum orauimus, vt suo nobis auxilio, præsidioq; adesset: mox in excelso e regione altaris throno consistentes eosdem Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos sacris indutos vestibus obedientiam nobis de more præstātes,

Psal.  
137.

L 3 excepti-

excepimus; tum dilectus, filius noster Odoardus Sancti Eustachij Cardinalis Fratris nuncupatus, Regni Aragoniæ Protector, Catholici Regis nomine, semel, iterum, ac Tertio suppliciter a nobis flagitauit, vt Beatum Raymundum in Sanctos referremus, cuius singulis petitionibus oppòrtune respondimus, ac per interiecta totidem interualla, litanias, hymnos, precesque adiunximus.

Denique absolutis, perfectisque omnibus ijs, quæ a Romanis Pontificibus hoc in genere instituta sunt, communibus precibus implorata Spiritus Sancti ope, ad honorem Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis, ad exaltationem fidei Catholicæ, & religionis Christianæ augmentum, auctoritate eiusdem Sanctæ Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac nostræ, de Venerabilium Fratrum nostrum S. R. E. Cardinalium omniumque Patriarcharum, Archiepiscoporum in Romana curia existentium consilio, communique consensu Beatum Raymundum a Peniaforti Ordinem Fratrum Prædicatorum expresse professum, ac in Ecclesia Sancta Catharinæ eiusdem Ordinis Barcinonense pultum, de cuius innocentia vitæ, & miraculis nobis plane constat, Sanctum esse definiuimus, an Sanctorum Confessorum numero, & Catalogo adscribendum esse decreuimus, prout per præsentem definimus, decernimus, & adscribimus, statuentes, vt ab vniuersa Ecclesia quolibet anno, die septima Ianuarij Festum eius, & Officium, sicut pro vno Confessore non Pontifice ad normam in Rubricis Benedictij Romani præscriptam deuote celebretur. Insuper omnibus vere pœnitentibus, & confessis, qui singulis annis eodem die prædictam Ecclesiam Sanctæ Catharinæ Barcinonensis, in qua corpus eius conditum est, pie, & deuote visitauerint, easdem Indulgentias, & peccatorum remissiones concessimus, & elargiti sumus, quemadmodum concedimus, & elargimur, quæ ceteris dicti Ordinis Monasterijs, & Ecclesijs diebus Festis Sanctorum eiusdem Ordinis concessa sunt.

Itaque omnibus, quæ ad Beati Raymundi canonizationem spectabant, rite peractis, atque hymno ad Dei laudem, & gratiarum actionem decantato, diuinaque ope Sancti Raymundi meritis, peculiari in eius honorem oratione, quam nos ipsi fecimus, & clara voce recitauimus, inuocata, Nos in eodem loco, & alteri Principis Apostolorum Missam solemnem de octaua Dominicæ Resurrectionis, cum eiusdem Beati Raymundi commemoratione celebrauimus, omnibusque Christi fidelibus, qui & canonizationi, & Missæ inter fuerunt, ad Dei laudem, & Sancti sui gloriam, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam concessimus. Quare Deum mirabilem in Sanctis suis benedicamus, & gratias immortales ei agamus, quia suscepimus misericordiam in medio templi eius, nouum videlicet in Ecclesia intercessorem cuius meritis, ac suffragijs in omnibus animæ, corporisque periculis adiuuemur. Ac singulari plane diuinæ prouidentie munere factum est, vt hæc difficilissimis temporibus, quibus religio Catholica inimicorum telis assidue impugnatur, hunc patronum, & aduocatum, vniuersi Christiani consecuti sint ad Ecclesiæ pacem in primis, & tranquillitatem, ad optatam Principibus Christianis concordiam, a hæreticis in errorem tenebris a via salutis errantibus lucem veritatis impetrandam. Ceterum, qui nimis difficile foret præsentibus nostras literas ad singula quæque loca deferri, volumus, vt earum transumptis etiam impressis manu publici notarij subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem fides vbique habeatur, quæ hæc præsentibus haberetur, si essent exhibitæ, vel ostensa. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrorum definitionis, decreti, adscriptionis, statuti, concessionis, elargitionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis.

*Psal.*

67.

*Psal.*

47.

CANONIZATIO S. RAYMVNDI. 167

quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Sanctorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo sexcentesimo primo, Tertio Kal. Maij, Pontificatus Nostri Anno Decimo.

† Ego Clemens Catholica Ecclesiæ Episcopus.

Locus Sigilli.

- † Ego Ptolomæus Episcopus Portuenſis Card. Comenſis.  
 † Iul. Antonius Episcopus Prænesteſis, Card. S. Seuerinæ.  
 † Hieronymus Episcopus Sabineſis Card. Rusticucius.  
 † Alex. Episcopus Albaneſis Card. de Florentia.  
 † Ego Ant. Maria tr. S. Mariæ Tranſiberim Presbyter Card. Saluiatus.  
 † Ego Aug. tr. S. Marci Presbyter Card. Veronenſis.  
 † Ego Simeon tr. Sancti Laurentij in Lucina Presbyter Card. de Terra noua.  
 † Ego Dominicus tr. Sancti Chryſogoni presbyter Card. Pinellus.  
 † Ego Fr. Hieronymus tr. S. Mariæ super Mineruam Presbyter Card. Asculanus.  
 † Ego Antonius tr. S. Stephani in monte Celio presbyter Card. Saulius.  
 † Ego Fr. Gregorius tr. Sancti Augustini Card. de Mont' Elpero.  
 † Ego Paulus tr. Sanctæ Ceciliæ Presbyter Card. Sfrondatus.  
 † Ego Benedictus tr. Sanctæ Piſcæ Presbyter Card. Iustinianus.  
 † Ego Franciscus Maria tr. S. Mariæ in Araceli Presbyter Card. a Monte.  
 † Ego Octauinus tr. Sancti Alexii Presbyter Card. Parauicinus.  
 † Ego Hieronymus tr. Sancti Pancratij Presbyter Card. Matthæius.  
 † Ego Octauinus tr. Sanctæ Mariæ de Populo Presbyter Card. de Acquaiua.  
 † Ego Flaminius tr. S. Mariæ de Pace presbyter Card. Platus.  
 † Ego Lutus tr. SS. Quirici, & Iulijæ Presbyter Card. Saxus.  
 † Ego Franciscus Maria tr. S. Bartholomæi Insula Presbyter Card. de Senis.  
 † Ego Camillus tr. SS. Io. & Pauli Presbyter Card. Burghiesius.  
 † Ego Caesar tr. SS. mart. Nerei, & Achilei Presbyter Card. Baronius S. R. E. Bibliothecarius.  
 † Ego Laurentius tr. S. Laurentij in Pane, & Perna, Presbyter Card. Blanchettus.  
 † Ego Franciscus tr. Sanctæ Crucis in Hierusalem Presbyter Card. Anila.

L 4. † Ego

- †  
 † Ego Franciscus tt. S. Thomæ in Parione presbyter Card. Mantica.  
 † Ego Pompeius tt. S. Balbinæ Presbyter Card. Arrigonus.  
 †  
 †  
 † Ego Dominicus tt. Sancti Petri in Monte Aureo Presbyter Card. Tuscus.  
 † Ego Arnaldus tt. Sancti Eusebij Presbyter Card. Ofattus.  
 † Ego Paulus AEmilius Prebyter Cardinalis Sancti Marcelli.  
 †  
 † Ego Siluius tt. Sancti Saluatoris in Lauro Presbyter Card. Antonianus.  
 † Ego Robertus tt. Sanctæ Mariæ in Via Presbyter Card. Bellarminius.  
 † Ego Bonuifus tt. Sancti Blasij de Annulo, Presbyter Card. Bonuifus.  
 †  
 † Ego F. Diac. Card. Sfortia S. Mariæ in Via Lata.  
 †  
 †  
 † Ego Petrus S. Nicolai in Carcere Diac. Card. Aldobrandinus, S. R. E. Camera.  
 † Ego Cinthius Diaconus Card. S. Georgij.  
 † Ego Bartholomæus Sanctæ Mariæ in Porticu Diac. Card. Cæsius,  
 †  
 † Ego Io. Baptista Sanctæ Mariæ in Cosmedin. Diac. Card. Detus.

M. Vestrius Barbianus:

A. de Alexijs.

Registrata apud Marcellum Secretarium .

S V M M A R I V M .

- 1 Capitulum Sede Vacante in quibus Episcopo succedat latissime declaratur.
- 2 Ante Vicarij Capitularis electionem quis administrat.
- 3 An Capitulum possit reuocare Vicarium.
- 4 An facta electione Vicarij Capitulum abdicet a se iurisdictionem, possit que sibi aliqua reservare.
- 5 Quis cognoscit de suspicione Vicarij Capitularis.
- 6 An tenetur eligere personam de gremio ipsius Capituli.
- 7 Ex cuius bonis Vicarius debeat habere salarium.
- 8 An Vicarius precedat canonicos in sessionibus.
- 9 An Capitulum possit que plures Vicarios constituere.
- 10 An Vicarius Capitularis possit alium substituere.
- 11 An inhibito facta Vicario Capitulari afficiat Episcopum successorem.
- 12 An Episcopo viuento detur casus, in quo Capitulum valeat Vicarium constituere.